

Elias Veiel Georg Ludwig Thebart

Exercitatio Theologica, De SS. Scripturae Autoritate, Perfectione, Ac Perspicuitate

Ulmae: Kühn, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786502630>

Druck Freier  Zugang



A-D A. 06 52 b, 6.
 A-K A. 78
 267
 A-F A-C
 207 A-E
 A. 18 A-D
 347 A-F
 A. 06 A-D
 A-G A-F
 A-E A-D
 A-F A-F
 A-F A-G
 A-H A-C
 A. 18 A-D
 A-E A-C
 A-F A-D
 A-F A-C
 A-C A-D
 A-C A-D
 A-D A-D
 A-D A-D
 247 A-F
 A-F A-F
 A-F A-F
 31
 A. 18

52


387
327

Fa-1092 (52.)

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ MISCELLANÆ.
Tomo hoc XCVII. comprehensæ.

Scrulium Scriptura Sacra. Pr. D. 1.	De Triplici Officio Christi. Præf. 25.
Conformitas Iudeo-Papistica in loca Scriptura Sacra. Pr. D. N. Gezeri. 2.	De Michaele Dehmio. 26.
Analogia Fidei. Pr. D. Ab. Calovii. 3.	De Problemate Theologico, de Anti- culus Philai de Ascensione Christi in Coelos quicquam deroget veræ Corporis et Sanguinis Eius. Præf. 4.
Interpretatione Scriptura S. N. Mylio de SS. Scripturae Auctoritate, Perfectione ac Perspicuitate. Pr. N. El. Veselio. 5.	De Sententia in S. Coena. Præf. D. Coelestino Mylenta. 6.
Heremeticæ vera et falsa. ad 2. Pet. 1. 7. 20. 21. Præf. D. D. Veselio. 7.	De Poenitentia. Bestiarum Nivivi- tica. ad Ion. c. 3. comm. 2. 8. Præf. Joh. Fridencio Mayerol. Licent. 27.
Cognitione Dei definitiva, an debet Pr. N. Joh. Wemmamio. 8.	De Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan. And. Quæst. 28.
Sacrosanctissimo Trinitatis Mystero. Pr. Sebast. Niemannio. 9.	De Nomo Confessionario. Nou. Præf. 29.
Personarum divinarum distinctione, an et quanam illa sit. Præf. eodem 9.	De Satisfactionibus propriis pro pe- nis temporalibus. Nemiſſe del pe- nis in hac vita. Pr. D. Joh. Dehmio. 30.
Actione Dei prima in tempore, in dicitur Creatio. Pr. N. Joh. Wemmamio. 10.	De Regula Juris Naturæ. Pr. D. Vesel. 11.
Permissione divina circa peccata. Pr. J. Christiano Chemnitio. 11.	De Confucto Pontificiorum Septe- nario. Sacramentorum Numero. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo. 32.
Apparitionibus Demonum. Pr. D. Joh. Meisnero. 12.	De Baptismo. Pr. N. Lev. Pouchenio 33.
Natura et Quidditate Luminis Glo- ria. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo. 13.	Quæst. Cas. Cum Abstinentis quid agendum in SS. Synaxi. Præf. Analys. quæst. 1. Cor. 10. Præf. Joh. Dehmio. 34.
Peccato Veniali. Præf. eodem. 14.	De Fide in Mesiam Patriarchali ex Genes. 29. 18. Pr. D. S. Schmidio 36.
Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. N. Joh. Wemmamio. 15.	De Honoris Operibus. Pr. N. I. Wemmamio 37.
Phrasi Scripturae, qua Deus dicitur Indurare et Excœcere. Pr. D. S. Schmid. 16.	De Honoris Operibus. Necessitate. 38.
Vinibus Liberi Arbitrii in Conversione. Pr. D. Sebast. Niemannio. 17.	De Honoris Operibus. Necessitate. 39.
Actione Dei prima ab æterno, qua dicitur Prædestinatio. Pr. N. I. Wemmamio. 18.	Inter Clavis Ligantis. Pr. D. Damhary. 40.
Phrasi Scripturae, Deletionis à libro Vita. Præf. D. Sebast. Schmid. 19.	De nova pax de nova s. r. a. 41.
Poenitentia Circumdante Virum tan- quam novo, quod creavit Dominus. ex Jerem. 31. 18. 22. Pr. Habichhorstio. N. 20.	De Exceutionibus. Pr. G. Greenio 42.
Aphorismo Joh. 1. 14. Verbum Caro factum est. Pr. N. Joh. Wemmamio. 21.	Purgatorium exustum à Papistas. Pr. D. Joh. Adamo Scherlero. 43.
Aphorismorum Theolog. de In- caratione Filij Dei Domini X. I. C. Præf. eodem. 22.	De Reliquis Christi et Sanctorum Carum cultu. Pr. D. S. Niemannio. 44.
Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. 16. Deus manifestatus est in carne. Pr. Parallelisma Calvinæ Newtonianus. Præf. Johanne Adalmo Scherlero. 23.	De Resurrectione Mortuorum. 45.
Collecta à M. Antonio Ulrico Comp. Julingæ. Anno. 1680 d. 14. Junij. 24.	De Resurrectione Impiorum. Pr. 46.
	De Resurrectione Impiorum. Pr. 47.
	De Resurrectione Impiorum. Pr. 48.
	De Resurrectione Impiorum. Pr. 49.
	De Resurrectione Impiorum. Pr. 50.

Collecta à M. Antonio Ulrico
Comp. Julingæ. Anno. 1680
d. 14. Junij.



Q. F. F. Q. S.
EXERCITATIO THEOLOGICA
DE
SS. SCRIPTURÆ
AUTHORITATE, PERFECTI-
ONE, AC PERSPICU-
TATE;

Quam

ADJUTRICE GRATIA ALTISSIMI,
SUB PRÆSIDIO

VIRI PLURIMUM REVERENDI
ET PRÆCLARISSIMI

DN. M. ELIÆ VEIELII, IN
FLORENTISSIMO GYMNASIO ULMICO
SS. THEOLOGIÆ PROF. PUBL. DIGNISSIMI, ET
IN SUMMO TEMPLO IBID. ECCLESIA-
STÆ VIGILANTISSIMI,

Publica placidaq; Disquisitioni exponit

GEORGIUS LUDOVICUS THEBARTUS,
p. t. PASTOR ALBECCENSIS.

Ad diem 4. Augusti.



U L M Æ,

Typis BALTHASARIS Kühnen/ *ibid.* Reipub. Typogr.

ANNO O. R. clv Is cLXIII.

VIRIS

*Magnificentiâ, Nobilitate, & antiquâ Generis Profapiâ,
Consiliis, Prudentiâ, veraq; Pietate undiq;
coruscis,*

Dn. MARQUARDO Ehinger }
à Balsheim. } Duum-Viris, Rerumq; Ecclesiastica-
rum Directoribus Eminentissimis.
Dn. ALBERTO Stamlern. }
Dn. LEONI Rothen ab Holzschwang/ Consuli Amplissimo.
Dn. THEODORO Schaden. } Coss. ac Ulm. territorii Eparchis
Dn. ALBERTO Baldinger. } Gravissimis.
Dn. PHILIPPO LUDOVICO Weickmann/ Quæstori, Rerumq;
Ecclesiasticarum Curatori maximè conspicuo.
Dn. DANIELI Besserer à Thalsingen. }
Dn. JOH. ADAMO Khemen. } Aedilibus Splendidiſſimis.
Dn. JOH. EITELIO Fingerlin. }
Dn. ERHARDO Schaden/ Geisling. Præfecto celeberrimo.
Dn. HENRICO Besserer à Thalsingen/ Albecc. Præf. Perstrenuo.
Dn. MARCO PHILIPPO Besserer / à & ad Thalsingen.

Ut Et

Plurimum Reverend. Excell. Clarissimis, Præstantissimis

Dn. M. MARCO Wollatb/ Ministerii Ulm. Seniori dignissimo, &c.
Dn. M. JOH. Müller/ Langenaviens. Past. meritissimo.
Dn. DAVIDI Bronner/ Socero suo honoratissimo.
Dn. SEBAST. MAGNO Thebart / Eslingæ animar. vigil. fidel. Ger-
mano unico.
Dn. JOHAN. Bronner/ Grammateo Leipheim. Compatri colendo.
Dn. DANIEL Bronner/ Rei frumentariæ in Geisling. Curatori. }
Dn. JOH. LEONHARDO Bronner/ Pastori Würtemberg. } Affinibus
in Sonthelm. } Charis-
simis.
D. M. DAVIDI Bronner/ Pastori Edlinschieffens. }

*Dnn. Gratosiss, Magnis Patronis, Promotoribus, Fautoribus,
Amicis, &c.*


Debitam obedientiam, gratitudinem, observantiam, officia
& Amorem promittit, ac testatur

GEORGIUS LUDOVICUS THEBARTUS,
Past. Albecc. A. & R.



IMMA-
NU|EL.

PRO O E M I U M.



Argentum tuum versum est in scorium, vinum tuum mistum est aqua: Ita, Dexterrime Lector, Divinus ille vates Iesaias cap. I. 22. in sanctam quondam urbem Jerusalem invehitur; Ita de publicis ministerii corruptelis, & de traditionum humanarum fermento, puritati verbi Divini admixto, nec etiam immerito, conqueritur! Gravissima profecto & notatu dignissima verba haec, non insubide & ego, septemcolli isti, sanctitate olim non minus illustri Roma, ingeminaverim, & cum Iesaiam dixerim: O Roma, Argentum tuum versum est in scorium, vinum tuum mistum est aqua: Apostolicam, catholicam & orthodoxam te quidem subinde jactitas, sed quam longissime ab Apostolica & vere catholica veritate, ac doctrina puritate deslexeris, atq; proinde non amplius Apostolica, sed prorsus Apostolica dici merearis, non est, ut operose demonstrarem, rem ipsam satis loqui, persuasissimum mihi est: Amisit omnino Argentum verbi Divini pretiosissimum, omnem suum splendorem, omnemq; puritatem ac bonitatem, & revera in scorium versum est, vinum illud nobilissimum & generosissimum, quo piorum animi, largiter sumto, ita refocillari solent, ut nullas calamitates, nulla exilia, imo ne mortem ipsam exhorrescant, ita adulteratum, & aqua ex putidis humanarum traditionum cisternis desumias ita permistum est, ut ne semel quidem ebrios, & ad spirituales hilaritates excitatos, misellos cives tuos, a potu hoc recedere videamus. Ne tamen omnem pietatem abjurasse videaris, imo ne tu, & alem, qualis revera es, te esse credant, vel suspicentur, pulchre hac talia palliare, muscerdam pro pipere vendere, ingeniose novisti, ac nescio in quo verbo Dei NON SCRIPTO subinde gloriaris, illudq; toti christiano orbi, pari pietatis affectu ac verbum scriptum, suscipiendum, obrudere conaris, Concil. Trident. Sess. IV. p. m. 31. fac. b. Hoc verbum Dei non scriptum, quod & alio nomine TRADITIO vocatur, o Roma, unicum presidium est, ex quo tui satellites, tuiq; hyperaspista praecipui, (Jesuitas puto) omnia sua commenta, superstitiones, idololatrias, imo & ipsam Papalem omnipotentiam (qui enim in disputationem vocare audet, num Papa sit omnipotens, jam haereticus est, secundum Canonistas, Clar. D. Dorfeb. scrup. Relig. Dedic.

A 2

Nov.

Nov. *** X. Hutter. Iliad. malor. Regn. Pontif. Rom. p. m. 7.) propugnare annuntur. Hec etiam est illa Helena, ob quam per Megalandrum nostrum Lutherum, ejusq; parastatas fidsimos, ereptam, illis tuis Architectis, qui & jam olim à Pontifice Rom. in perniciem Ecclesiarum, qua puram Evangelii doctrinam amplectuntur se creatos esse, non diffitebantur, vid. incomp. Chemn. Ex. C. T. Part. 1. statim in Præfat. limine. Et hinc etiam sacratissima Scriptura tam malè apud illos audit, Traditio verò, quam spurco nomine Apostolicam vocant, ad cælos usq; extollitur: SCRIPTURA ipsi manca, imperfecta, obscura, TRADITIO verò omnibus numeris absolutissima, perfectissima, clarissima est: & quid multis opus est? ad Script. provocare non tantum hereticum, verum etiam secundum Scherer. Jesuit. (horresco referens) planè diabolicum est, ita enim ille Postill. pag. 244. (cit. M. Christoph. Dauderstad. dispos. Evang. part. I. Domin. Invoc. p. m. 490.) Es ist kein Reker jemals auffgestanden/ der nicht mit dem Teufelischen scriptum est, Es steht geschrieben/ ihme eine besondere Kirch und Versammlung angerichtet hätte. Hinc etiam illorum, de hac materiâ in lucem edita scripta, horrendis blasphemis, undiq; scaterere cernes, neq; etiam adeò magni laboris esset, emblemata talia bene multa, tibi optime Lector, exhibere, sed morus essem, si sublevis frivolisq; quisquiliis hisce diu immorarer! quoniam potius animum jam ad majora & graviora applicabo. Constitui igitur, quantum quidem negotia practica, chartaq; angustia, permiserint, paucula quadam Pontificis hisce blasphemis opponere, atq; Auctoritatem, Perfectionem, ac Perspicuitatem S. Scr. pro ingenii tenuitate, asserere, ita tamen, ut de singulis seorsim agatur: DEUS TRIN-UNUS, DEUS PATER, DEUS FILIUS, DEUS SP. S. cujus nutu, autoritate, & voluntate, sacra tabula & incepta, & finita, atq; ad nostra usq; secula propagata, mirabiliterq; conservata sunt, cæptis clemētissimè annuere, ex alto, dignetur, Amen.

MEMBRUM PRIMUM.

De Auctoritate & Majestate S. Scripturae.

Th. 1.

Quod itaq; primum nostræ Disputationis Membrum, nimirum de Auctoritate S. Scr. spectat, ante omnia nobis in id incumbendum erit, ut status Controversiæ ritè formetur, Ergò primo intuitu notandum erit, quid nomine S. Scr. intellectum velimus.

§. Per Scripcuram autem sacram non indifferenter omnia scripta sacra, sed illos tantum libros indigitamus, quos indubitato Propheticos & Apostolicos esse, ex firmissimis & immotis fundamentis jamdudum persuasi sumus, horum, cum Deo autore gaudeant, rebusque sacris undiq;

undiq; refertissimi sint, aliquam auctoritatem esse, nemini cordato, du-
bium esse potest.

§. 3. Quis enim, cum Effectus excellentia causa sua gaudere so-
leat, S. Scr. quæ liber Jehovæ dici meruit, Jes. 34, 16. quamq; Deus per os
sanctorum Prophetarum suorum prolocutus est, Luc. 1, 70. omnimoda
Majestate, dignitate, & auctoritate sua privare, aut spoliare ausit, nisi ex-
tremè impius sit?

§. 4. Hoc licet omnipotentia Papalis Architecti, audacter moli-
antur, ac ut S. Script. Majestate suâ exuant, nullum non lapidem move-
ant, tamen superiori seculo, quod in Admirationem fortasse quosdam
rapiet, Tridentini illi Areopagita, mitius cum ea agere, atq; ab his & si-
milibus cavillis, sibi cavere visi sunt.

§. 5. Verum enim verò quâ mente, quâ reverentia ergà Scr. S. id fece-
rint, ex Andrad. qui illius Concilii non infima pars erat, propria confes-
sione liquet, sic enim ille: *Patres Synodi Tridentina à CONTUMELIO-
SIS ILLIS VOCIBUS sibi temperarunt, quia plebs concitari posset, si sacra
Script. cum ATROCIBUS ET INVIDIOSIS VERBIS incessatur*, Chemn.
Exam. C. T. Part. I. p. m. 28. Nos Andradio gratias agimus, quod nos
tam dextrè docuerit, Patres illos ex eorum numero esse, quos Christus
viviis suis coloribus depinxit, Matth. 7, 15. nosque ut ab ipsis caveremus,
fidelissimè monuit; quam verè autem in ipso effectu eandem cum reli-
quis sententiam confirmarint, neminem ut opinor, latebit.

§. 6. Quamvis etiam Bellarminus & alii, nonnunquam pro for-
ma honorificè de sacra Scr. loquantur & scribant, ipsique auctoritatem
quandam non exiguam, sed benè magnam tribuant, nondum tamen
rem confectam esse, putandum erit, quia maximam Scripturæ auctori-
tatem hi tales ab Ecclesia suspendunt, & sic absolutam ipsius Majestatem
angustis cancellis includere conantur.

§. 7. Quapropter ut id, quod controvertitur clarius delineemus,
illud jam quæstionis erit, An sacra Scriptura Majestatem suam in se & ex
se habeat, an verò eandem aliunde mutuetur & accipiat?

§. 8. Hic Pontificii negativam tenent, & totis quod ajunt, à nobis
dissent castris, atque sacra Scr. auctoritatem ita Ecclesiæ alligant, ut il-
lam in totum ab hâc dependere, & (quæ Hermann. Colon. blasphemia
est,) *illam sine Ecclesiæ auctoritate, ne quidem fabulis Esopi anteferen-
dam esse*, prodigiòsè affirmant. Conf. Vir. Milet. impiissima verba, apud
D. Walth. in præfat. H. B. d. 3. pag. invers. Nos verò hæc nil curantes,
affirmativam tuemur his seqq. innixi rationibus.

§. 9. I. Quia sacra Scriptura ipsius Dei jussu, mandato & auctoritate in literas relata est; Evolve libros Mosâicos, Propheticosque, & invenies sapissimè, Deum apertè viris hisce præcepisse, ut scribant, *Jes. 30, 8. Abac. 2, 2. Jesa. 8, 1. Jerem. 36, 2.* Imò quod probè notandum ex *Deut. 4, 13. & Exod. 31, 18. c. 32, 16. c. 34, 28.* apparet, Deum non sâtem præcepisse Mosis scriptionem, sed ipsum etiam suo facto & exemplo initiâsse, dedicâsse, & consecrâsse hunc modum & rationem, per literas nimirum docendi, quando primus verba Decalogi, omnipotenti suo digito tabulis lapideis inscripsit: adde quod hæc scriptura ex ipsius Spiritus sancti testimonio, suam apud nos auctoritatem obtinuerit, is enim testatur, spiritum, (i.e. doctrinam à spiritu S. traditam) esse veritatem, *1. Joh. 5, 6.* & ex hoc testimonio pii, Dei loquentis in Scriptura vocem agnoscunt, solus enim Deus de seipso maximè idoneus testis est.

§. 10. II. Quia hæc Scriptura, de quâ nobis jam sermo est, non à proletariis scriptoribus, sed ab ejusmodi viris congesta est, qui ob immediatam ad hoc munus vocationem, arcanum quæ spiritus S. ductum & impulsum, aliis quibuscunquæ authoribus longè præstantiores sunt, hinc etiam apertè testantur, spiritum S. per illos locutum esse, *2. Sam. 23, 2. 2. Petr. 1, 20. 21. 2. Tim. 3, 16. Jes. 34, 16.*

§. 11. III. Quia doctrinam non vulgarem, ut alii libri prophani, sed planè divinam, celsissimam, & majestate singulari undique coruscant, in se continent, *si enim (quod mihi de suo largiatur, Clar. D. Mich. Walth. Harm. Bibl. p. m. 4. 5.) in res ipsas, quas liber Bibliorum exhibet, sigillatim oculos desigas, & in eo Divina Majestatis lampades accensas cernes, quot sententias, quæ profectò ipsius Dei, utpote authoris hujus libri, ad nostrum colloquium prodeuntis, gloriam & majestatem, manibus quasi palpandam subjiciunt.*

§. 12. IV. Quia singularem quandam, & non nisi divinam vim in se, & ex se habet, animos legentium, *si modo Lector candidus & nullo præjudicio vel præconceptâ falsâ opinione fascinat* sit, ita commovendi, percellendi & rapiendi, ut statim alii à seipsis fiant, veritatem quæ in illa radiantem illicò agnoscant, atque ambabus manibus amplectantur, *Exempla habes in Justin. Mart. Victorin. Rom. Augustin. Donna Rom. sacerdote Ethnicâ, Chrysantho, Judæo Toletan. & Nobili quodam Mahummedano, in aula Amurathis enutrito, quæ omnia tibi legenda proponit, Clariss. D. Dorsch. Scrup. Relig. Dedic. Nov.):(ij. seqq. quibus etiam addere poteris Christ. Gersonem, ex Judæo Christianum, apud M. Casp. Tit. Loc. Theol. Hist. p. m. 963. n. 19.*

§. 13. V. Quia singularis in eâ stylus elucet, qui equidem non phaleratam sermonis elegantiam, ad fricandas hominum aures, promittit, sed in quo cum peculiari gravitate, penetrantissima dicendi suavitate, ac admiranda animos legentis, movendi potestate, sancta simplicitas subinde conjungitur, in quem sensum S. Augustinus appositè scripsit: *Scriptura velut materno incessu submissus ingreditur, ne infirmitatem nostram, qui vix humi repimus, deserat*; Sed hæc de testimon. sacræ Script. internis, quibus etiam quædam externa superaddere placet.

§. 14. Primum autem inter ista locum tenebunt, stupenda miracula, quibus sacra Script. multoties confirmata, & sic nobis de meliori nota commendata fuit, quorum profectò in utroque, V. & N. T. non exiguum numerum reperies, si modò eâ diligentia & attentione, quâ par est, evolvere velis.

§. 15. Hunc testem excipiat alter, æquè gravis, poenæ nimirum eorum, qui sacratissimam hanc Script. contemnere ausi sunt, quorum omninò longum catalogum pertexere possimus, si modò chartæ non parcendum esset, notatu verò inter multa dignissimum est, exemplum Simon. Turian. Profess. Paris. quod quidem à quibusdam pro apocrypho habetur, sed cum nobis etiam Hier. Drexel. Jesuit. orb. Phaët. part. I. tit. de blasphem. cap. VI. p. m. 144. 145. suffragetur, illud adscribere placet: *Simon de Tornavv, (inquit Drex.) Doctor Parisiensis, ævo suo magni nominis, sed non minoris arrogantia, & parum continentis vita, ausus est publicè dicere, Tres sunt, qui orbem miserunt sub jugum docendo, Moses, Christus, Mahometes; Moses Judæos infatuavit, Jesus (ignosce ò bone Jesu hæc scribenti, ad eadem tamen horrescenti) Christianos, Gentes Mahometes; Vix hæc effatus corruit, & eversis oculis instar bovis, horrendum mugit, ita domum delatus in morbo jacuit, jam etiam Alphabeti ignarus; Illud singularis supplicii loco censendum, quod solam pellicem Aleydem nominare potuerit, aeterno suimet probro: Boëtium de Trinitate juxta se positum, & quem penè memoria comprehenderat, nominare non potuit. Ita miser exacto triduo, pecudis instar obiit.*

§. 16. Tertium locum inter hostes occupat Ecclesia, non quidem hodierna Pontificia, nam cum illâ adulterinâ, variisque corruptelis viciatâ, nobis planè nihil commercii intercedit, sed primitiva, Apostolica, eidemque vicina, purè orthodoxa: Hac enim de Biblico codice & scriptis Canonicis judicavit, hæc ea promulgavit, & caduceatoris instar proclamavit, inde etiam tam splendido elogio in sacra Scr. mactatur, ut columna & stabilimentum veritatis nuncupetur, 1. Tim. 3, 15.

§. 17.

§. 17. *Hæc tamen Ecclesia erga Scripturam officia (verbis Clar. D. Hutter, disput. de S. Script. Authorit. p. m. 29. loquor) etsi suo modo & magna & sublimia apparent, tanti tamen momenti neutiquam esse possunt, ut propterea à omni sacr. literarum auctoritas (quemadmodum jesuitæ, & illorum spiritu plenè inebriatus ille Ex-Lutheranus, Pistorius, putant) ab Ecclesia unice suspendenda, & horum servitiorum causa, quibus Scriptura Ecclesia obstricta est, ipsi Scriptura tantummodò credendum sit, neq; enim edicto Principis propterea quod à ministro ejus affigitur, & promulgatur, sed quia ab ipso Principe profectum est, fides adhibetur, & pro tali agnoscitur.*

§. 18. Agmen denique inter hos testes claudant S. Martyres, qui omninò non cæco impetu, & insanâ quadam pertinacia (quæ quidem animos multorum falsorum Martyrum mirè infatuavit & fascinavit) tot horrenda Martyria, tot cruenta supplicia, variaq; mortis genera, ne semel quidem perterrefacti, ovanti animo subierunt, saltè ut doctrinam suam, quam voce scriptisq; fidelissimè docuerunt, hoc modo obfirmare, totiq; christiano orbi indubiam reddere, & ab omni furo vacuam testari possent. Docebant enim vitam æternam, docebant mortuorum resurrectionem, &c. qui articuli rationi profus adversi, & non nisi fide percipi possunt; jam ergò ubi homines Christo recenter initiati, S. Martyres tot ac tanta supplicia imperterrito animo sustinere, cœlum que subindè arrecto vultu, inter media tormenta aspicere, idque unice anhelare viderunt, vel absque calculorum subductione divinare potuerunt, hanc doctrinam esse divinam, & verè cœlestem.

§. 19. Plura in hunc sensum afferre, haud difficilè esset, ne tamen in hoc unico nimis prolixus sim, his ita prægustatis, ad alia progredi animus est,

§. 20. Verùm ut res integra fiat, hæc fusiùs hucusque commemorata, schemate syllogistico comprehensa, omnium oculis, hoc modò objiciam: Quæcunque Scriptura ipsius DEI jussu, & mandato, imò ipso præeunte congesta, insuper etiam Spiritus sancti testimonio confirmata, à viris divinis arcano impulsu Spiritus sancti conscripta, doctrinam item non nisi cœlestem in se contentam habet, vi singulari ad movendas hominum mentes præditâ, stylo quoque non vulgari, sed majestate divinâ digno, loquitur, insuper etiam stupendis miraculis confirmata, à contemptoribus mirè vindicata, ab Ecclesia primitiva pura & orthodoxa pro divina judicata, agnita, & proclamata, martyriisque clarissimis obfirmata, illa profectò majestatem & auctoritatem non aliundè

undè mercari, vel precariò accipere debet, sed in se, & ex se reverà habet. Atqui sacra Script. Canonica est talis. Ergò. Majorem nemo, nisi prodigiosè absurdus esse velit, negabit, Minorem verò jam satis declarasse & comprobasse speramus. Ergò conclusionis veritas salva & immota manebit. Sequitur

MEMBRUM II.

De SS. Scripturæ Perfectione.

§. 1. **U**T etiam hic status controversiæ rectè formetur, sciendum, nos jam non disceptare, utrum ea omnia, quæ Deus partim ipse, partim per Prophetas & Apostolos olim locutus est, literis cõsignata & congesta sint? Ultrò enim Pontificiis hoc damus, nõ omnia hæc scripta esse.

§. 2. Neq; etiam deo controversitur, Num in Script. Canonicis contineantur omnia, quæ quovis modo in Ecclesia Dei necessaria sunt, Tria enim quasi generalia dantur Christianæ Religionis capita, quorum 1. ipsam fidem & doctrinam, alterum, mores & vitam, 3. verò ritus ac ceremonias Ecclesiæ concernit.

§. 3. Tertium enim, quod attinet, libenter fatemur, omnes ritus Ecclesiasticos in Scriptura non contineri, sed eorum administrationem & dispositionem libertati christianæ, & Ecclesiæ judicio relictam esse.

§. 4. Duo priora verò nimirum Informationem fidei & morum, quod concernit, de his nobis quæstio est, utrum omnia illa, quæ ad fidem & mores christiano homini necessaria sunt, in sacra Scriptura comprehensa & annotata sint?

§. 5. Hic Pontificii & Lutherani iterum in diversa sententiarum divortia abeunt, Illi enim Negativam mordicùs tuentur, *sacram Scr. esse imperfectam, insufficientem, mancam & mutilam*, atq; proinde ex illa sola non etiam accedentibus traditionibus præcipuè Apostolicis, ut specioso & ementito titulo eas vestire consueverunt, hominem neque in fide, neque etiam in vita sufficienter erudiri posse, *Ecclesia enim illa primitiva, secundum Greg. de Valent. in infantili atate fuit, & Apostoli ea predicarunt, qua ad necessitatem ejus temporis pertinuerunt*, inquit Pistor. proinde à Zangero, *Aurora comparatur illa primitiva Ecclesia, qua subinde proficit in scientiâ & doctrinâ, Deo eam quotidie plenius illustrante, quo fit, ut multa nunc sciamus, qua à primis Patribus aut dubitata, aut prorsus ignorata fuerunt*, Clar. D. Menz. Disp. Anti-Pistor. p. m. 75. imò *Apostoli mentiri & memoria labi potuerunt, ut omnis homo falli potest & fallere*, si Alb. Pigh. fides habenda, cit. D. Walth. in præf. H. B. p. m. supra cit.

§. 6. Verùm tricas has nil morantes, fortiter à parte affirmantium
B stamus,

namus, & Augustini, qui totus noster est, aphorismum amplectimur, quando ita inquit: *In iis quae aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem, moresq; vivendi.*

§. 7. Ne tamen humanis fundamentis insistere videamur, assertionem nostram seqq. rationibus probatam faciemus.

§. 8. I. A scopo, sive fine scriptionis ab ipso Deo intento, quem sane suo fine nequaquam frustratum esse putemus, Finis verò Deo nullus alius propositus erat, quam ut hi, quos in speculum suum elegerat, de voluntate suâ, quidnam credendum, quid non, certissimi redderentur.

§. 9. Cum enim Deus, sub primâ statim mundi origine, post horrendum, & sanguineis lachrymis deplorandum nobis, lapsum Adamicum, Protoplastis nostris voluntatem suam vivâ voce, sine scripto revelasset, revelatamque posteris enarrandam præcepisset, petulantiam verò, malitiâq; hominum fieret, ut divinâ doctrinâ huic purissimâ, traditiones admiscerentur, & per eas veritas cœlestis fœdè obfuscaretur, ut liber Genes. satis testatur, factum est, ut Deus populo Israëlito, qui tunc soli veram Ecclesiam constituebant, aliâ ratione, adulterationibus & depravationibus humanis, non ad eò expositâ, voluntatem suam testari cœperit, ut incomparabilis noster Chemn. annotavit, Exam. C. T. Part. I. de Orig. Caus. & usu Scr. V. T. p. m. 35. seqq.

§. 10. Eundem etiam finem & scopum Apostolis in prima N. T. scriptione propositum fuisse, & unicè ed collimasse, ne Christo Jesu recenter initiati, per falsos Apostolos, sub perizomate Traditionum Apostolicarum, seducerentur, idem Chemn. l. cit. p. m. 88. seqq. ex Act. 15, 16. seqq. observavit.

§. 11. Prob. II. à negata vel additione vel detractio, Ita enim divinus ille Protocancellarius Moyses, Deut. 4, 2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, idem etiam nobis seriò inculcatur cap. 12, 32. Prov. 30, 6. hæc verba extant, *Omnis sermo Dei ignitus, &c. Ne addas quicquam verbis illius, ne arguaris, inveniarisq; mendax.* Et quod reverà omine non caret, sub calcem totius codicis sacri, hoc idem denuò ingeminatur, gravissimâ comminatione adjectâ, quando Joh. Apoc. 22, 19. 20. inquit: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit, de verbis libri prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus de Libro vite, &c.* Conf. 1. Cor. 4, 6. Discatis super id, quod scriptum est, non sapere.

§. 12. III. Quia hæc ipsa Scriptura nobis à Spir. sancto non una salutem, sed iteratâ sæpè vice, quam optimè commendata, & ut illam evolvamur, seriò mandatum est; Moyses, jam morti vicinus, sacerdotibus & principibus

principibus populi præcepit, ut singulis septenniis Lex Domini à se con-
scripta legeretur coram toto Israële, tam viris, quam fœminis, parvulis
& peregrinis (cur?) ut audiant, & ut discant, & Jehovam timeant, Deut.
31. 10. 11. 12. Consentit etiam in hoc Jesai. cap 8. 20. ubi in quæstionibus
dubiis & controversis, ad Legem & testimonia nos unice remittit. conf.
Ezech. 44. 24. neque etiam Christus à nostro scopo abludit, Joh. 5. 39.
dicens: Scrutamini scripturas, &c. addit etiam Paulus calculum suum,
quando Timotheum hortatur, ut permaneat in his quæ didicit, causam
etiam statim subnectit, quia nimirum te possunt instruere ad salutem,
2. Tim. 3. 14. 15. Conf. Luc. 16. 29. Act. 17. 11. Gal. 6. 16.

§. 13. IV. Ab Effectu, Hic sanè prolixi esse possemus, sed unico,
classico tamen & verè aureo illo Paulino, à nobis modo allegato dicto,
contenti erimus, tot enim penè argumentis pro nostra sententia, refer-
tum est, quot constat vocabulis, quapropter eum totum exscribere non
pigrabor: *Tu maneto (inquit Ap.) in iis quæ didicisti, & quæ tibi concre-
dita sunt, sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ
te possunt sapientem reddere ad salutem per fidem, quæ est in Jesu Christo,
omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad argu-
endum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo
DEI, ad omne bonum opus instructus. Cum igitur sacræ Scripturæ tam præ-
clari effectus tribuantur, quidni & illam perfectam, imò perfectissimam
prædicemus? Ringatur licet Hæjus Jesuit. His extremis temporibus non
modò imperfectam & inutilem esse S. Scripturam, sed planè perniciosam, ac
proinde ab Ecclesiâ exterminandam. Walch. l. sup. cit. Qualis enim Effe-
ctus, talis causâ, & vice versa.*

§. 14. Excipit quidem hic ex Jesuitis non nemo, & dicit, Paulum
in hoc loco agere saltem de utilitate, non verò de sufficientia Scr. sacræ,
sed frustrâ est. Audiant modò socienni, quid ad hanc exceptionem re-
spondeat Cl. D. Hutt. Disp. de Perf. Scr. p. m. 82. cujus verba exscribere
me non pudebit: *Cum (inquit) utilitas, quæ semper cum relatione ad in-
digentiâ accipitur, duplex sit, vel adequata & totalis, seu sufficiens, omnem
omniò indigentiam auferens, vel partialis, non sola, sed cum aliis admini-
stris, indigentiam tollens, divinatione opus non est, de quâ utilitatis specie,
sermonem faciat Apostolus, præsertim cum adjiciat, Scripturam ita esse u-
tilem, Ut PERFECTUS SIT HOMO DEI, AD OMNE BONUM OPUS PER-
FECTE INSTRUCTUS, quæ sanè manifesta est utilitatis adequata, quæ
cum sufficientia coincidit, descriptio, conf. Psal. 19, 8.*

§. 15. V. Quia Spir. sancti fulmen anathematis gravissimum in
omnes eos vibrat, qui præter eam doctrinam, quæ in sacris literis com-
prehenditur

prehensa est, aliam proferunt, Gal. 1, 8. quod profectò non pro bruto tantum fulmine habendum erit, ut illa solent haberi, quemadmodum & reverà sunt, quæ Vaticanus ille Deus è fulminante ore suo quotannis, etiam contrà nos pronunciare consuevit; Caveant ergò sibi Papæo-Romani, ne dum & ipsi huic doctrinæ in multis contrariam proferunt, hujus fulminis vim aliquando experiri & sentire cogantur, quod nisi respiciant, & ad meliorem mentem redeant, eos certo certius manebit.

§. 16. Sed ut & hoc Membrum, vel tandem missum faciamus, licet plura superaddere haud grave esset, ea quæ hucusq; de S. Scr. Perfectione fusiùs differuimus, hoc Syllogismo includamus: Quæcunq; Scriptura à Deo ipso, hoc fine collecta, & literis mandari cœpta est, ut homines de ipsius voluntate, sincerè erudiri, & ab erroribus eò tutiùs sibi cavere possint, cui etiam sub pœnâ æternæ damnationis nihil addere vel detrudere licet, quæ insuper à Sp. S. ut unica regula & norma fidei & vitæ sapiissimè commendata, eiq; tam præclarus effectus tribuitur, quod hominem Dei ad omne B. O. perfectè instruere possit, tandem etiam ab eâ aliam doctrinam proferre, anathematis fulmen mereatur, illa profectò tum ad fidem, tum etiam ad mores informandos, sufficientissima, atq; ex omni parte perfectissima est, Atqui Scriptura Canonica est talis, Ergò. Majorem ut opinor nemo negabit, nisi Christiano nomine se indignum cense-ri velit. Minor verò jam ante per singulas suas partes satis probata est, Ergò & hic conclusionis veritas immota manebit; Quare plus ultra! Sequitur itaq;ue

MEMBRUM III.

De S. Scripturæ Claritate & Perspicuitate.

§. 1. **Q**uod itaq; hoc Membrum concernit & attinet, iterum ante omnia nobis Controversiæ status legitimè formandus erit, quare notandum, nobis hic quam optimè arridere distinctionem illam ab aliis jam olim eruditè adhibitam, quæ dictorum Divinorum IV. Classes constituit, ita ut *quædam 1. sint Elementaria, 2. quædam sublimia, 3. quædam mystica, 4. quædam onomastica.* Vid. Clariss. Menz. Disp. Anti-Pistor. p. m. 77.

§. 2. De tribus posterioribus ultrò fatemur; dari in illis multa obscura, & intellectu difficilima, Ergò de illis nobis nulla controversia est.

§. 3. Primam verò eorundem classem quod spectat, quæstio iterum non est, Num absque ullo omnino respectu, omnibus S. Scr. legentibus, adeò clara & perspicua sit, ut quilibet indifferenter Laici, & *quevis delirans* (quæ Eccii verba sunt) eas tractare & intelligere possint? Notum enim

enim est, & in cōfesso habemus, sacras literas esse in hoc genere, indigne se ad lectionem earum præparantibus, falsorumq; præjudiciorum fascinis occæcatis, non semper claram ac perspicuam esse, aut fuisse.

§. 4. Sed in hoc tandem cardo rei versatur: An S. Scr. in iis, quæ ad fidem & vitam informandam necessaria sunt, his, qui se rectè ad illam accommodant, quâ sensum exteriorem, ita perspicua & clara sit, ut etiam à quovis tali, sine externo aliquo, & accessorio Ecclesiæ testimonio, intelligi queat.

§. 5. Hic Ignatiani & Pontificii, nobiscum iterum nullo modò sentiunt, hi enim sacratissim. Scr. ut in priori membro, omnis imperfectionis, ita & hic omnis obscuritatis & difficultatis accusant, egregiisq; emblematis hinc exornant, quod nimirum sit *littera muta, mortua, dubia, nasus cereus, materialis, occasio hæresum, imò mera tenebra & errores*, contrà verò Rom. Pont. doctrinam esse Regulam Dei infallibilem, à quâ etiam (Sylv. Prier. verbis utor) *sacra Scr. robur & auctoritatem trahat*. Quibus etiam subscribit Censur. Colon. hoc modo, *Omnia & singula, quæ in Scr. comprehensa sunt, tantis obvoluta sunt obscuritatibus, ut ne doctissimi quidem certam cognitionem inde colligere possint, nisi eam aliunde mutantur*. Hutter. Disp. de clarit. Scr. p. m. 97.

§. 6. Digna Mi-Christe hæc & similia Jesuitarum tripode! verùm, delectent se illi quisquiliis suis quam diu velint, Nos certè in affirmativâ descendamus, & ad hæc roborandam testes omni exceptione majores in scenam producamus, firmabitur itaq; assertio nostra seqq. rationibus.

§. 7. I. Quia talem illa Auctoritatem agnoscit, qui non tantùm sapientissimus & optimus, verùm etiam ab omni dolo & fuce alienissimus est, Quis ille? Deus Trinunus, qui Scr. teste, lucem inhabitat inaccessibleem, 1. Tim. 6, 16. imò Lux ipsa est, 1. Joh. 1, 5. conf. Joh. 1, 9. c. 8, 12. c. 9, 5. c. 12, 35. 36. 46. quin ergò S. Sacr. talem auctoritatem habens, non etiam sui authoris naturam referret? Clarissimè ut omnia, magnus Hutter. disp. de Perspic. S. Scr. §. 17. *Quis obsecrò (inquit) eò impietatis progrediatur, ut Deum sapientissimum illum, & prorsus incomparabilem, omnium orationis, tum perspicuitatis authorem, imò illum ipsum Deum, qui de voluntate suâ, deq; salute nostra nos sedulo per scripturas vult erudire, obscuritatis & flexiloquentiæ arguere ausit?*

§. 8. Attendat hic Purpuratus ille Nicol. Cusanus, qui in Epist. suis ad Bohem. absurdè satis affirmavit, *Deum quoad explicationem sui verbi, se judicio Ecclesiæ submittere, & contentum esse ea expositione, qualem Ecclesiæ tradat, proinde mutato Ecclesiæ judicio, mutatum esse & Dei verbum*, cit. D. Jac. Heilbr. Papat. Acath. p. m. 575. Sed hem! quo vadis ô Nicolae,

quod vadis? Sicigitur Deus tibi LOXIAS erit? absit! & audi quid La-
ctant. dicat; *Num Deus & mentis, & vocis, & lingua artifex disertè loqui
non potest? Imò verò summà providentiâ carere fūco voluit ea, qua Divi-
na sunt, ut OMNES INTELLIGERENT, qua ipse OMNIBUS loquebatur.*
Heilbr. l. cit. p. m. 578.

§. 9. II. Quia hæc ipsa Scr. tales effectus producit, qui nil nisi sumam
perspicuitatem & claritatem important, & præsupponunt, *conf. qua supra
Membr. 1. §. 12. annotavimus*, inde etiam tam præclarum nomen sortita
est, ut Lux in tenebris splendens & illuminans tenebricosos hominum
animos dici meruerit, 2. Petr. 1, 19. Conf. Psal. 119. 105. 130. Pf. 119, 9.

§. 10. Et cum nec ab hoste veritas repudianda, (licet Maldonatus
strenuè neget, pernegetq; se ab hæreticis (Jesuitico stylo loquitur Win-
kelman, & Gerhard. indigitas) veritatem accipere velle, cit. Dauderstad,
disp. Evang. part. III. in fest. Ascens. p. m. 455.) oro ut consideres, quam
appositè & prorsus orthodoxo sensu loquatur, Cornel. à Lap. apud Ma-
gnum nostrum Dorſch. Scrup. Rel. dedic. Nov.):():(item Cardinal. Ca-
jet. loc. cit. quæ testimonia, ut exscribantur, digna quidem essent, sed
tempori & chartæ parcendum est.

§. 11. III. Quia hæc Scr. semper pro unico Canone & norma habi-
ta, & adhibita fuit, ad quam omnes controversiæ & quæstiones dubiæ,
circa Religionis negotium examinata, & etiam compositæ fuerunt, Jes.
§. 19. 20. Joh. 5, 39. Imò secundum hanc etiam omnes pii Reges suas
reformationes instituerunt, vid. incomp. Chemn. Exam. C. T. part. 1. p.
m. 52. 53. It. Cl. D. Menz. Disp. Anti-Pistor. disp. III. p. 95. ante omn. verò
D. Dorſch. Rel. scrup.):():(seqq. dedic. Nov.

§. 12. IV. Quia universam christianam doctrinam, quæ duobus
absolvitur capitibus, Lege nimirum & Evangelio, tam clarissimè nobis
proponit, ut nihil certè relinquatur, quod obscuritatis notam scripturis,
quoad dogmata fidei, morumque inurere possit, ambigis? scrupulum
tibi eximemus!

§. 13. Summa Legis continetur decalogo, ejusque summa hæc est:
Qui fecerit hæc homo, vivet in eis: It. Maledictus qui non fecerit omnia,
quæ scripta sunt in libro legis: quid quæso hic obscuritatis? Nihil!

§. 14. Evangelii summa hæc est: Sic Deus dilexit mundum, ut fili-
um suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed
vitam æternam habeat, Joh. 3, 16. & quid hic obscuritatis? Nihil! bellè
Hier. ait, *Platonem paucis scripsisse, quia vix tres homines eum intelligunt,
Apostolos verò & Prophetas, non paucis, sed universo populo scripsisse:* & sic
Sac. Script. facilitatem & claritatem nobis intinere voluit: Summa,
Omnia

Omnia clara sunt, & plana in scriptis, quacunq; necessaria sunt, manifesta sunt, inquit Chrysoft. cit. Heilbr. l. c.

§. 15. V. Quia omni ratione humana, omniq; sensu præstantior, omnibusq; aliis scientiis, atq; artibus longè excellentior est: Ita enim Regius Psaltes Ps. 119. 89. 99. 100. *Super inimicos meos prudentem me fecisti, mandato tuo: quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua, meditatio mea. Super senes intellexi, quia mandata tua quasi vi.* conf. Deut. 4, 6. 7. 8. 1. Cor. 1, 25. Matth. 16, 17. Gal. 1, 12. 16. 1. Corinth. 2, 2. Eph. 3, 19. iccirco etiam omnis intellectus ipsi subjiciendus est, 2. Cor. 10, 5.

§. 16. Exclamabunt hic Ignatiani, & dicent, ô Lutherani, liberales quidem estis in asserendâ Perspicuitate S. Scr. sed à quò accepistis? Non sanè ita sentiebat Promachus vester Lutherus, nescitisne illum in confesso habuisse, in S. Script. non tantum multas Antilogias dari, verùm is idem etiam in quibusdam Scr. locis tantam obscuritatem agnovit, quæ nobis in hac vitâ planè impervestigabiles & inextricabiles sint? & inter hæc præfertim illud Petrinum, 1. Petr. 3, 18 19. 20.

§. 17. Sed benè habet ô socienni! Sentimus profectò cum nostro Megalandro planè idem, & hoc vobis libenter largimur; verum enimverò, antequam ex hac palæstra discedam, placet ad hanc vestram instantiam nonnulla regerere.

§. 18. Antilogias itaq; & contradictiones, quæ in S. Scr. non raro occurrere videntur, quod attinet, sciatis velim, illas reverà tales non esse, sed saltem nobis ita videri, Spiritus S. enim nec semel sibi contrarius esse potest, Ego Dominus & non mutor, Mal. 3, 6. quapropter hæc tales omn. & singulæ facillè conciliari poterunt, si modo regulas à Clar. D. Mich. alth. in suâ Harm. Bibl. nobis fidelissimè præscriptas, observare, iisdemq; firmiter inhærere laboraverimus. (Regulas istas tam generalissimas, tam etiam commun. quam proprias, vide l. cit. p. m. 23. usque ad 57. inclusivè) quo etiam collimat Lutherus noster, cum Tom. VII. Jen. (cit. eod. p. 18.) ita inquit: *Es sind viel Sprüche in der Schrift/ die nach dem Buchstaben wider einander sind/ aber wo die Ursachen angezeigt werden/ ist alles recht.*

§. 19. Obscuriora verò illa dicta quod concernit, notandum, *illa NON SUO, SED NOSTRO VITIO obscura esse*, nimirum propter intellectus nostri cœcitatem, possunt tamen illa vel ex eventu, vel ex aliis dictis & locis feliciter explicari.


§. 20. Possset etiam hic non incomodè quæri, utrum unam & idem sacræ Scr. dictum plures literales sensus admittat, quam unum? verùm, quia

quia amicum nostrū colloquium, illam quæstionem in scenam, ut facile con-
jicere possum, producer, publico congressui illam relinquere placet.

§. 21. Et ut Deus nihil frustra facit, sciendum illum etiam hujus rei
causas longè gravissimas habere, quas & olim S. Patres annotarunt, ni-
mirum 1. ut nos ad preces & implorationem Sp. S. pro dono intelligen-
tiæ alacriores redderet, 2. ut studium nostrum in meditando positum
excitaret, 3. ut scripturarum fastidium & contemptum tolleret, 4. ut au-
thoritatem earum planè divinam ac sacratissimam, nobis commenda-
torem redderet, 5. ut ne sanctum canibus & margaritas porcis projici-
ceret, 6. ut alii docentium, alii discipulorum partes sustinerent.

§. 22. Verùm hic receptui canimus! prius tamen pro more nostro,
assertionem nostram syllogismo comprehensam denuò cõfirmabimus
hoc modo: Quæcunque Scriptura talem authorem agnoscit, qui ipse sa-
pientissimus & optimus, omnisq; doli ac flexiloquentiæ expertus est, quæ
tales effectus producit, qui nil nisi summam charitatem important, quæ
etiam semper pro unicâ normâ in decidendis Religionis controversiis
habita, & à Christo ipso ita usurpata, insuper universam doctrinam cla-
rissimè nobis proponit, ac tandem omni sensu, rationeque humanâ, o-
mnibus artibus & scientiis excellentior est: Illam profectò clarissimam
& perfectissimam esse, necesse erit. Atqui Script. Canonica est talis. Er-
gò. Major suâ luce radiat; Minorem fusè probavimus. E. conclusio
salva erit. *Sanctifica itaque nos, ô Domine, in tuâ Veritate, Sermo tuus
Veritas est, Joh. 17, 17.*


Gloria DEO Patri ingenito, Gloria DEO Filio unigenito,
Gloria DEO Spir. Sancto utriq; coæterno, DEO Uni, DEO
Trino, in infinita secula, AMEN.





*Ad Rever. & Dignissimum Dn. AUTOREM,
Epigramma PRÆSIDIS.*


Sacra Sacerdoti sacratæ dogmata Legis
Ut sint sacra sacer præcipit ipse DEUS.
Hæc Tibi sacra, THEBARTH, quod sint ostendis, & isthæc
Cura sacerdotem Te probat esse sacrum.
Hic aliter statuatur cùm Roma sacerrima, recte
Seq; sacerdotes jactat habere sacros.

F I N I S.









19.

quia dictum est: Ad apprehendendum alas ter-
mpij ex illa. Verum, Latine detextis Rabbino-
atque judiciis variis missis, conferimus nos ad
tentias, quibus potius mens sana in corpore
is progressum ad

Membrum Tertium.

te Judæorum communiter hanc loquendi for-
altera vitâ intelligunt, quod, quamvis pii in
rba patiantur, tamen in altera arctissima ne-
bulandi cum DEO, veluti ex præcedentibus,
x R. Salomone, R. Levi, R. Kimchio, quam-
tati: Ita contra I. reperiuntur haud pauci ex

ribus, qui verba loci citati tantum de Con-
s vitæ periculis accipienda putant. Confer.
Martin. Delrio, (b) quorum iste, fors, inquit, vi-
diuturnam, ut à DEO illigari Fasciculo Viven-
DEO sedulo & diligenter curari, custodiri & con-
(nam Anima hic vitam hanc presentem signi-
adimat, sed ne quidem perturbet, ut indicat op-
in funda.

nus, eandem planè sententiam fuisse D. Ioh.
preccantis est, inquit, Sit Anima tua servata à
e. numero Viventium. Hoc est, Tua vita custo-
a inter vivos, vita autem adversariorum verti-
ii DEI intereat, ut nesciant, quo se vertant. Sic
(d) arbitratur: Commune tum fuisse, in populo
consuetudinem, haud dubie à Patribus acceptam,
colligere pios in fasciculum & fovere in gremia
homines solent, id quod sibi charum & antiquum
rvare. Voluerunt autem S. Patres hac figurata
unioribus ac imperitioribus, pios cura esse DEO,
haberi pretio, & conservari ac protegi contra
oli & Mundi.

em sensum facere videtur Savilius. (e) Fascicu-
gationem significat eorum maxime, qui eodem vita
C 2 insti

ad h. l. ita comment. Deus te in periculis
am fasciculo involutum, inter eos, quos De-
vult. Ergo vita postea in potestate
nisi DEO permittente.

I. Sentètia.

D. Frantzi⁹
a) De Inter
pret. Script
Sac. Orac.
69. p. 821.
& seqq.
b) Adagial.
V. T. Adag.
185. p. 197.

c) D. Ioh.
Bughn.
Comment
in Sam.
Proph. Wit
tenb. 1524.
d) Hieron.
Weller.
Comment
in h. l.

e) Sanctius
in h. l.

